

1584

ronensi agro ejus ductu , cædes fieri ; vi ac rapinis in innoxios sœviri ; quidquid mente efferata , atque impia manu effici posset , perpetrari nuntiabatur . Ad invalescentis hujusce incendii flammas extinguendas varia , minore fructu quam expectatione , remedia adhibita sunt ; cum tandem Senatus , ne virus majora incrementa sumeret , quinto nonas junii legatum in continentem , qui auctoritate & vi extorres excindere ac prorsus tollere niteretur , mittendum statuit . Paulus Contarenus lectus ; ei imperium in præsidiiorum atque ordinum milites tributum ; trecenti externi pedites adlecti ; equitatus omnis tum gravioris tum levioris armaturæ , qui publicis stipendiis alitus , adjectus ; ad hæc centum Epirotæ equites , quorum quinquaginta ultra Mincium amnem , totidem citra , opera uteretur . Et quoniam detestando huic hominum generi ad Castulonis , & Jufredi oppida , quæ Gonzagaë familie Dominis obtemperant , vel situs opportunitate , vel brevi ac facillima post delicta perpetrata sese condendi facultate , tutum receptum esse afferebatur , Contareno jussum , Senatus nomine oppidorum Dominis significaret , ne ulla ratione accessum extorribus conseleratisque hominibus ad sua loca præberent ; si secus faciant , necessitate adactum , uti magis Reipublicæ dignitatis interesse existimasset , consulturn . Contarenus igitur in continentem profectus , qua auctoritate , qua vi , qua terrore brevi ita effecit , ut complures morte plecterentur , alii ad carceres traducti dignas meritis ad reliquorum exemplum pœnas darent ; inter quos Franciscus Bertazzolius , Salodiensis , Avocadri assecla , omniumque scelerum particeps , captus , ultimo suppicio affectus est ; bona fisco adjudicata ; complanatae ædes . Octavius vero cum præcisam sibi ulterius sua sclera provehendi viam intelligeret , Florentiam abiit ; pacatisque continentis rebus , Contarenus in patriam reversus , haud multos post dies morbo corruptus , summo totius civitatis dolore interiit .

*Avocadri  
profectione  
quies refi-  
tuta.*

*Navigium  
Venetum ab  
Uscochis  
captum.*

Sub id fere tempus Uscochi quadringenti Francisci Prodii Bracchienensis navigium multis tum Christianorum , tum aliarum gentium , ac Turcarum præsertim onustum mercibus , in quo Turcæ aliquot erant , Narentam amnem myoparonibus ingressi intercipiunt , exuunt , ex Turcis viginti interficiunt .

Nun-